

Diatrībe physiologica de affectibus animi ... / [Johann Georg Möller].

Contributors

Möller, Johann Georg, active 1695.
Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Nisianis, [1695]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r4jx6ugs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

1a

Q. D. B. V.
DIATRIBE PHYSIOLOGICA
DE
**AFFECTIBVS
ANIMI**

*TRIBVS DISSERTATIONIBVS MEDICIS
SINGVLAREM
IRÆ, METVS ATQVE TRISTITIAE
VTILITATEM
PER RATIONES ET EXPERIENTIAM DEMONSTRANTIBVS
PRÆMISSA,*

QVAM

*CONSENTIENTE ILLVSTRI FACVLTATE MEDICA
IN INCLYTA ACADEMIA JENENSI
PRÆSIDE*

JO. HADRIANO SLEVOGTO, D.
Medico Ducali Provinciali & Civitatis Patriæ

*publicæ Philiatrorum disquisitioni
exponit*

JO. GEORGIVS MÖLLERV
ZITTAVIENSIS

Jene, A. O. R. MDCXCV. d. Martii.

LITTERIS NISIANIS.

THE PHYSIOLOGICA

CL

EDICIAE ANNUALIS
IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE

ANNUALIS IMPERIALE



L. D. B. V.

§. I.



I Plinio autore, *ab animo hominum medicine* Hist. nat. lib. 18. c. 4. Galde Arts med. c. 85. m. 264. tom. 1. Grac. p. 481. tom. 3.
 pendent, πρὸς τινῶν ἀλλοιεῖται τὸ σῶμα εἰς ἀνάγκην
 οἵς ἀδύνατον αὐτῷ εἶναι μὴ πλησιάζειν, a quibus cor-
 pus, cum impossibile sit, ut iis non appropinquet, edit. lat. p.
 necessario alteratur; Cartesioque teste, passiones
 animæ ad salutem & conservationem mortalium a natura con-
 cessæ sunt, ut corpus ad rerum utilium prosecutionem & no-
 xiorum fugam comparetur: haud ultima Medentium cura erit
 despicere, quasnam motus animi causas, quasve indoles sorti-
 antur; ut discant, qua ratione eos gubernare, &, pro re nata,
 clientibus suis aut imperare, aut vetare debeant. Solis quippe
 Medicis, pro avito quodam artis suæ jure, quo ipsis etiam Le-
 gumlatoribus leges dare valent, non tantum, quæ ad corporis
 totius ἐνέργειαν, & singularum partium ab Hippocrate & Galeno
 requisitam ἐνθυμίαν pertinent, præcipere licet: sed in animos in-
 super hominum imperium exercere, variisque eorum inclina-
 tiones moderari permissum est.

§. II. Moti itaque materiæ præstantia pariter & utilitate,
 de tribus admodum famosis animi παθήμασι, *ira* scilicet, ejusque
 potiori specie, *excandescentia*, hinc de metu, quo & terrorem
 referimus, atque tristitia, cum suis inferioribus, totidem differ-
 entias academicas conscribere, & quomodo hi, passim male
 apud Medicos audientes, affectus salutarem in tuenda & recu-

peranda valetutine opem præstare possint, ostendere decre-
vimus.

§. III. Quod dum agimus, rei natura postulare videtur, ut
in genere nonnulla de affectibus animi præmittantur, quæ secu-
turis procœmii quasi loco sint, progressumque parent expeditio-
rem. Nam vero, cum ab initio hanc opellam, animi tantum gratia
susceptam, παρέπυως & horis, ab ægrotantium cura, aliisque offi-
cii rationibus vacuis, absolvi posse putaremus: rem ipsam ag-
gressi, non subsecivam eam, sed, quod Seneca de Philosophia scri-
bit, ordinariam & dominam esse, & labore, humeris nostris
imparem, poscere deprehendimus.

*Pathol. ex-
erc 8. que
epitome est
tract. Car-
tesii de pass.
anim.*

§. IV. Est enim, Charleton monente, theorema haud
paucis, iisque gravissimis difficultatibus involutum, & cuius
cognitionem, ceu mentis humanæ captui minus obviam, non
est promptum attingere. Quippe licet effrenos & insanie fini-
timos perturbationum animi tumultus in nobis metipsis experia-
mur, velutique in intimo pectoris excitatos persentiamus: tan-
tum tamen absimus a clara & demonstrationum munita illorum
theoria, quam si nihil omnino ad naturam nostram spectarent.

§. V. Causæ harum difficultatum ad duo potissimum
capita reduci possunt; quorum unum ad auctores, qui de pas-
sionibus aliquid literis prodiderunt, attinet; alterum rem ipsam
concernit.

§. VI. De autoribus audiamus Cartesium, tractatum de
passionibus animæ hoc modo ordinentem: Nulla in re magis
apparet, quam mancæ & deficientes sint, quos a veteribus ha-
bemus, scientiæ, quam in illis, quæ de passionibus scripsere. idcir-
co eo hic modo me oportebit scribere, ac si tractarem de mate-
ria, quam nemo ante me attigisset. Hunc excipiat Honoratus
Fabri, qui de magno humanæ sapientiæ instauratore, Aristotele,
ita judicat: Consule, si vis, Aristotelem, & crassas tenebras
invenies; quæ licet lucem multam contineant, hæc tamen sine
sudore erui non potest. dicam quid sentio: vix hæc apud Aristote-
lem intelligas, nisi prius intelligas, quid legas: sicubi enim obscurus est
& sepius, hoc revera loco totus in tenebris latet. Quæ si vera essent,
quis,

*Lib. 3. de
Homine
propos. 42.
p. 353.*

quis Aristotele cœcutiente, in hoc negotio, se oculatum profiteri ausit? Nec proinde, quicunque post Aristotalem per cuncta secula de pathematibus scribere conati sunt, durius in se dicta putabant, quæ idem Fabri, in præfat. lib. 5. satis libere & confidenter, ne dicam temere & ignominiose, in primis Cartesium fuggillando, in eos pronunciat.

§. VII. Hæc de autoribus: reliquas, *rem ipsam* prementes difficultates a Charletonem mutuabimur, cum idem ante nos Excell. Brunonem fecisse videamus. Harum *prima* est: quod animi pathemata merito sint in perceptiōnum sive sensationum earum classem referenda, quas impervestigabilis animæ humanæ natura, ex una; arctissimum illud foedus, quod animæ cum corpore intercedit, ex altera parte, necessario reddunt confusas & obscuras. Altera est, quod minime habeamus exploratum, quænam pars sit animæ sedes præcipua. Hanc sequitur tercia: quod patriter nesciamus, in quo primario ac immediate consistat illud commercium, quod animæ cum corpore intercedens, in causa est, ut in se reciprocē agant, & invicem patiantur in animi pathematis. Hoc est, quomodo anima humana, ceu substantia immaterialis, a spiritibus, subtilissimis equidem, mere tamen corporeis, per objecta motis, affici queat, ut vice versa eisdem spiritus, pro ratione affectuum, una cum reliquo corpore diversimode exagitet.

§. VIII. His accedit, & magis adhuc arduum negotium facit, quod nos in eas animæ passiones inciderimus, quas unanimis fere Medicorum consensus hactenus inter noxias & bonæ valetudini adversas proclamavit, nec nisi per accidentem unquam profuisse censuit. Ut proinde παραδόξω καὶ ἀπολόγῳ simile quid patrare videamus, quibus apologiam pro iisdem scribere in mentem venerit.

§. IX. Verum sicuti ad difficultatem argumenti inhorrescere, ignaviæ nos argueret; ita auditis opprobriis, in iram similesve affectus effusis, ipsos protinus negligere, iniquum & levitatis indicium esset. Cum, si vel maxime

L.c. p. 34.
Dogmat.
med. gene
p. 227.

animi perturbati in vita civili honestum locum non inveniunt, a Medicis tamen, qui & venena in salutaria pharma-ca convertere sciunt, absolute rejici nequeant: in primis cum non sua, sed Practicorum culpa hactenus factum sit, ut tam raros virtutum suarum præcones invenerint. Ut enim, perverso mortalium more, recta aliorum facta verbo indicasse satis putamus, in vitiis vero effutiendis disertissimi sumus: ita Medici plerique non minus, quam ægroti, in morborum decursu, nec phænomena sufficienter considerantes, nec remediiorum operationes, & quid vero jverit aut nocuerit, expendentes, sæpe, ex præconcepta de ira, metu, tristitia, sinistra opinione, omnibus aliis potius rebus, qnam affectibus hisce, adeptæ ab iis salutis originem adscribunt. Errore, cuius analogum jam olim Hippo-

lib. de arte. crati multum negotii facesset; cum ægri, postquam per abstinentiam cibis, aut balneum, aut aliud quiddam, præter morem, in diæta commissum aut omissum, sine medicamenti, a Medico porrecti, usurpatione reconvaluerant, in divine artis ignominiam, se non Medicinæ, sed fortunæ opere evasisse, assererent.

S. X. Quæ omnia prolixioribus, quam concinna exercitii academicæ brevitas requirebat, verbis præmittere placuit; non quidem ut aplustria cymbæ præfigeremus; sed ut adversus temere suscepiti insoliti argumenti opprobrium nos muniremus, & pariter, sicubi rem acu non tetigerimus, magnitudine rei impotentiam nostram excusaremus.

S. XI. Ut vero laudatissimæ illustris Wedelii, benignissimi nostri Patroni & venerandi Præceptoris, methodo, qua, rara felicitate, hactenus naturæ abdita detexit, infistamus, post absolutam hancce generalem affectuum considerationem, in tribus sequentibus dissertationibus, præmissa nomenclatura & definitione, mox quid sensus ex phænomenis, ratio de causis & experientia nostra atque aliena de effectibus doceant, Divino auxilio adjuti, perlustrabimus.

S. XII,

§. XII. *Affectus* vocabulum, si de una ex essentialibus animalis partibus, materiali scil. prædicatur, Latinis idem est, ac *status ejus p. n.* sive *morbosus*; cui apud Græcos πάθη & πάθημα respondent. hinc quando ad animi quoque m̄rbos trahitur, eo ipso æquivocationem, eamque *consilio*, ut Logici loquuntur, & propter analogiam talēm, sub se comprehendit. Utī enim in corpore, per alteratam qualitatum temperiem, læsamque conformatiōnem, & unitatis solutionem, sanitas, hoc est, ex integris illis resultans naturalis constitutio, in p. n. morbosam, & operationibus vitalibus ineptam, labitur; ita, per turbatam animæ sensitivæ tranquillitatem, ipsius rationis consueta ἐνέργεια alteratur, pervertitur & sufflaminatur.

§. XIII. Obtinuit tamen usus, ut hæc posterior οἰδητοῖς non æque absolute, ut ista prior, *affectus* appelletur, sed insuper adita particula *animi* vel *animæ* opus habeat: quod secus apud Græcos atque Germanos fieri observamus. Illis enim τὸ πάθημα & m̄rbum corporis, & simul τὰ πάθη φυχικὰ denotat: qua ratione etiam Germani, per unicum substantivum *affectus*, Teutonica civitate donatum, *corporis* & *animi* *vitia* desigant; hac tamen differentia, ut in singulari, ein Affect / morbum notet, in plurali vero, die Affecten / idem quod Græci per τὰ πάθη φυχικὰ, & Latini per *passiones* aut *accidentia animæ*, *affectus* & *perturbationes animi* indicant, exprimere soleant. Præter hæc synonyma sunt: *Gemüths- Unruhe* • *Bewegung* • *Krankheit* / quibus *perturbationes*, κίνησις atque *agritudo animi* respondent.

§. XIV. *Affectus* sunt motus p. n. *appetitus sensitivi*, orti ex apprehensione boni vel mali, cum aliqua mutatione non naturali & p. n. *corporis*. Est hæc definitio B. Rolfin. cii, quam per τὸ p. n. auctiorem redditam, cum & genus atque subjectum, deinde causam etiam & objectum, una cum effectu passionum satis clare designet, merito iis præferendam duximus, quæ vel breviores justo sunt, ut illa

O & M.
Med. Com:
lib. f. 39 c.
103,

Fabri:

b.c. lib. 5.
prop. I.

de Pass. anim. artic.
27. Exercit.
pathol. 8. §.
16. Instit.
philosoph.
part. 9. c. 6.

Fabri: *Passio est motus appetitus, ex affectione sensibili; vel non ea perspicuitate pollent, ut primo statim intuitu legenti, sed ex certis demum hypothesis pateant.* Exemplum exhibit Cartesiana, a Charleton & le Grand fideliter repetita: *Passiones animæ sunt perceptiones, aut sensus, aut commotiones animæ, quæ ad eam speciatim referuntur, (non vero ad objecta externa, ut odores, sonos, colores, quorum sensationes fallaces sunt; nec ad corpus nostrum, ut famem, sitim, dolorem, quæ affectiones naturales audiunt;) quæque producuntur, conservantur & corroborantur per aliquem motum spirituum.*

§. XV. Genus est *motus*, in quo tantum non omnes consentiunt, inseparabiliter cum sensu devinctus. Hinc est, quod a Cartesio perceptio, sensus & commotio hoc loco b.c. prop. 13. pro Synonymis habeantur, & a Fabri *potentia motrix a sentiente non distinguatur.*

§. XVI. Videtur vero hic motus p. n. esse, sensu Medico, eoque latiori; dum omnino recessum aliquem a naturali statu animæ sensitivæ, quæ tranquillitatem & sibi relinqui amat, indicat. Nec obstat, quod non omnes affectus manifeste actiones lœdant, sibi scil. relictæ, & moderati, inque corpore sano; sed saepè ægrotos juvent, & corporis p. n. dispositionem ad naturalem reducant. Possunt enim hæc omnia, adhibita distinctione, juxta se tolerari, & sufficit, affectus in natura sua ad lœsiones aptos esse, ubi aut immoderatores fuerint, aut corpus impurum, aliove modo ad noxas recipiendas præparatum, offendent. Hinc gaudium, affectum adeo commendabilem, quibusdam lethale fuisse, rarum non est. Imo nonnunquam *absentia*, eorum noxia est, ut inter remedia commendari debeant.

§. XVII. Instrumenta hujus motus sunt nervi & spiritus animales, qui non tantum ab anima moventur, sed ipsam etiam movent. De nervis nemo hactenus serio dubitavit; spiritibus autem Honoratus Fabri infensor est, & quamvis

quamvis in sensatione motum admittat, nullumque *sensum*
sine motu, sed propter motum *sensum* fieri concedat; solis
 tamen nervis nerveisque fibris omne negotium committit,
 & non solum spiritus, in sanguine existentes, ad humores
 movendos ineptos dicit; sed in specie animales, cum *nulla*
ratio, *nulla necessitas*, *nulla experimenta eos dari evincant*,
 Et multæ rationes contra illos pugnant, nullatenus admitten-
 dos esse existimat.

l. c.

l. c. prop. 10.

lib. 4. prop. 7.

§. XVIII. Verum utut jam olim a Stoicis anima sen-
 sitiva, ut polypus delineata sit, qui, capite in cerebro re-
 condito, pedes per nervos in sensuum organa distribuat,
 objectorumque ideas ibidem excipiat; & Du Hamel, ho-
 rum placita approbans, desumpta a lingulæ bombardæ si-
 militudine, qua digito tacta, vehemens elateris motio, cum
 subita pulveris pyrii accensione & horribili fragore con-
 sequitur; non dissimili ratione nervorum fibras ita ab Au-
 ëtore naturæ & tensas, & mutuo sibi consertas, ac per lon-
 gum exporrectas scribat, ut, levi ictu commotæ, sensum satis
 vegetum in communī sensorio excitent: non tamen his so-
 lis totam energiam tribuit, sed aperte spirituum mentio-
 nem facit, hæcque omnia fieri, dum spiritus per nervos,
 velut tubulos, vibrantur, affirmat.

lib. I. de corp.
anim. cap. 2. p.
487.

§. XIX. Inducitur autem motus iste *animæ sensitivæ*.
 Hanc Willisius *brutam*, illustr. Wedelius *organicam*, *corpore-*
am, & vocabulo ἡμφατικοτάτῳ *Archæum*, *motusque principi-*
um secundum, respectu ad incorpoream, supremum actio-
 num in homine directorem, habito, vocat. Helmontio
 mortal is audit, cui mens, proxima divinitatis *imago*, vitæ
 regimen delegavit; ita tamen, ut eidem connexa, & per
 vitæ symbolum, tanquam cognationis proximæ syndesmon,
 colligata maneat.

de Anim. brut.
Phys. ref. c. II.
p. 350.
l. c.

tr. confirm.
morb. sed. in-
anim. sens. §. 2.

§. XX. Aliter statuit Cartesius, qui uni *animæ ratio-*
 nali functiones cunctas demandans, remoto inter animas
 discrimine, affectus, ut ex definitione & artic. 25. de pass.

anim. aliisque ejus scriptis liquet, immediate quasi a rationali deducit; dum ipsi, monente du Hamel, eadem vis sentit & intelligit, & omnes animi appetitiones ad voluntates pertinent, aut potius sunt ipsae voluntates: Non obstante articulo 17, qui contrarium statuere videtur.

§. XXI. Verum sicuti ex hoc principio multorum, Philosopherum auribus durissimum commentum profluxit: bestias non passionibus solum carere, quod jam Seneca asseruerat, sed sensu quoque & perceptione destitui: ita pauci hactenus, præter le Grand & eos, qui cœco impetu in Magistri sui verba jurarunt, permoveri potuerunt, ut a recepta, & naturæ phænomenis explicandis comoda sententia, vim, scil. sentientem ab intelligentे omnino distinctam, effe, recederent.

§. XXII. Etsi nunc per dicta pateat, quænam ex corporis partibus præcipue patria affectuum salutanda sit, cerebrum scil. quatenus hoc sedem animæ principalem præbere persuasi sumus: non possumus tamen, quin duarum celebrium, secus statuentium, opinionum mentionem faciamus. Una est Helmontii; qui, postquam mentem non propinquius aut similius sibi subjectum, in quo hospitetur, quam illud lumen vitale, quod anima sensitiva dicitur, habere docuerat, hanc ipsam animam sentientem radicalem,

gr. Sedes anim. §. 17. Una est Helmontii; qui, postquam mentem non propinquius aut similius sibi subjectum, in quo hospitetur, quam illud lumen vitale, quod anima sensitiva dicitur, habere docuerat, hanc ipsam animam sentientem radicalem,

gr. Conf. morb. suum torum in Archæo vitali stomachi reperire, & in penitiorre ejus tunica, velut in thalamo, habitare, afferere haud erubescit. Non quidem, quod hospitetur in stomacho, tanquam sacco, pelle, membrana, olla, carcere vel cortice: nec est in ipsa sede comprehensa, pro more clausorum corporum, intra crumenam: sed, exorbitante modo, inest in puncto centraliter, ac velut in atomo, unius membranæ spissitudinis medullio. Utque porro, affectus ibi cudi, probabile reddat, nemo, inquit, non sentit horrores, timores, pavores, iras, excandescentias, tristitias, suspiria, omnemque concupisibilium perturbationem sibi circa os stomachi suboriri & agitari

sed. §. 18.

tari &c. Prolixum nimis foret, cuncta, quæ ille adducit, persequi; nam & fidem omnem superant, & fundamento carent. Quare ad alteram potius opinionem, quæ ex corde affectus derivat, protinus progredimur.

§. XXIII. Hæc, & vetustate & summorum virorum autoritate spectabilis, diu in scholis physicis ac medicis inconcussa stetit. Antiquissimi hujus autores Chrysippus & Aristoteles fuerunt, ut ex Galeno discimus, qui & ipse *cor indubiam passionum officinam statuit*. Postquam enim ex tribus istis distinctis animæ (non facultatibus, ut Aristoteles haud incongrue volebat, sed partibus, τὸ λεγένδον sive παρανήσον capiti, τὸ θηριόμυστον hepati præesse dixerat, τὸ θυμοειδές, vulgo irascibilem & vitalem facultatem, ita cordi tribuit, ut hoc, cum (1) caloris fons sit, (2) arteriis originem præbeat, & (3) ab affectibus animi evidentissime, pulsu mutato indice, alteretur, jure meritoque pathematum mater salutari debeat.

§. XXIV. Verum quia allatæ rationes partim consequentia laborant, partim aliter a modernis explicantur; ideo res haud omni difficultate caret. Audiamus Charletonem, Cartesii artic. 33. verbotenus fere recitantem: *Vero exerc. pathm. risimile est, rationem, cur cor pro primaria præcipuag, sede 8. p. 97. passionum vulgo accipiatur, in hoc potissimum consistere, quod in iis motus ejus diversimode alterari deprehendatur, pro variis in eo contenti sanguinis motibus, ab influxu spirituum animalium vario excitatis. Sed, pergit, facile est animadvertere, hanc alterationem non sentiri tanquam in corde, nisi interventu nervorum, qui ex cerebro ad illud producuntur, prout dolor sentitur in pede, opera nervorum pedis: ita tamen, ut magis necessarium non sit, animam nostram exercere immediate functiones suas in corde, eo quod in illo suas passiones sentit, quam esse principaliter in pede, utut dolorem inibi persentiscat.*

Circ. anat. phys.
pag. 113.
de Morb. sacr.
§. 18. tom. 2.
p. 348. edit.
Lind.

Medic. theoretic.

Phys. Med. p.
304.

J. s.

§. XXV. Cartesio ad stipulatur Excell. Bohnius, est que hæc sententia antiquissima. Ita enim Hippocrates: Dicunt quidam, quod corde sapimus, & quod hoc est, quod angitur, & quod curam gerit; τὸ δὲ ψυχικόν ἔτεσι, verum hoc ita se non habet, & paulo post: αλλὰ πάγκων ταλαιπωρίαν οὐ γνέφαλος αἴτιός ἐστι, sed omnium horum cerebrum causa est. Id quod etiam §. præced. 16. adeo clare & fuse docuerat, ut Hippocratem affectuum sedem principalem cerebrum, non vero cor asseruisse, dubitari nequeat.

§. XXVI. Et quamvis Zabarella, teste Stupano, Aristotelem defensurus, cor unicum principium actionum omnium esse contendat, cum spiritus vitalis, in corde generatus, primum instrumentum edendarum functionum existat: nequit tamen censuram illustr. Wedelii effugere, qui autores animam rationalem & omnem vim intelligendi, volendi ac eligendi in capite aut cerebro locare, solos tamen affectus, qui ex hoc fonte fluunt, cordi relinquere miratur; institutaque egregia cerebri atque cordis cum politico regimine & regia comparatione, affectus principaliter in cerebro, (regimine) adæquate vero & ultimatae in corde (regia) & hepate hærere statuit.

§. XXVII. Qua distinctione ingeniosissima non tantum veterum autoritas salvatur, eorumque placita, ut a modernis etiam ferri queant, statuminantur; sed Magnus insuper Rolfinicus, dum eam indolem affectibus animi tribuit, ut protinus, atque in corde concepti, reliquas facultates simul afficiant, & in eis affectionis suæ notas imprimant, a contradictionis suspitione commode liberatur.

§. XXIX. Stabilita hoc pacto affectuum officina, proximum est, ut causam motus, & quid archæum moveat, deinde quotuplex illud sit, & qua ratione, quibusve mediis operetur, perpendamus. Diximus motum oriri ex apprehensione boni & mali. Ita enim a natura comparati sumus,

mus, ut grata prosequamur, & nobis applicare gestiamus, mala vero, & quæ lädere possunt, omni opere fugiamus & longissime a nobis remota velimus. Hinc merito ridenda est affectata ista Stoicorum *ἀπάθεια*, & inter παράδοξα referenda *ἀναγθησία*, nec credendum, ullam unquam veram, sed omnes simulatas &, reluctante natura, a monstrosa obstinatione exclusas fuisse.

§. XXIX. Dum vero boni vel mali tantum mentionem fecimus, ea, quæ medio modo & *ἀστιαφόρως* se gerunt, cum animi tranquillitatem imperturbatam sinant, nullius efficaciæ esse declaravimus. Quamvis enim & a talibus archæum moveri, negare nequeamus, quatenus percipiuntur, sentiuntur, & mediæ naturæ esse judicantur: minime tamen ad affectus concitandos apta sunt; cum horum essentia haud in consueta & naturali, sed extraordinaria complexus spirituum, ut a quibusdam sensitiva audit, commotione fundetur. *Quamdiu enim, inquit Wil-*
lisius, anima corporea tranquille ac imperturbate se habet,
proprio corpori, velut thecæ aut capsulæ cuidam adæquate
aptatur, ejusque partes omnes tum sanguinis, leniter circu-
lati, rivulis irrigat, tum spirituum animalium blando ubi-
que allapsu actuat. Ex quibus patet, cum nullus ab *ἀστια-*
φόροις irregularis motus suscitetur, quod nulla quoque pas-
sionibus animæ solennia phænomena inde expectari de-
beant.

§. XXX. Cum porro boni & mali ideæ variis modis considerari queant, ex illis duos tantum in præsentia explicandos proponemus. Quod priorem classem attinet, alia idea nobis domestica est, in nobismetipsis nata, & Helmontiana phrasí, *archæali silice excussa*, dum mens ipsa *tr. conf. morb.*
sibi procellas excitat, suorumque conceptuum ideas exoticas sed.
inprimit in spiritum, functionum executorem: alia est fo-
rinsecus & peregre adducta.

§. XXXI. Confirmantur hæc ab autore Philosophiæ *tom. I. p. 339.*

vet. & novæ: Affectus partim ab externis objectis excitantur, quæ in cerebro vestigia inprimunt, cum quibus certæ perceptiones sunt conjunctæ; ex iis oritur boni aut mali opinio, tum quædam spirituum commotio, quam motus animi vel affectus comitatur: partim impetu quodam vel a naturali inclinatione excitantur. His subnectimus, quæ Cartesius de internis causis habet: *Cum plena fruimur sanitatem, & cum cœlum solito serenius est, in nobis sentimus aliquam hilaritatem, quæ a nulla intellectus functione provenit, sed solummodo ab impressionibus, quos motus spirituum excitat. Et eodem modo nos tristes sentimus, cum corpus non bene habet, quamvis nesciamus, id male se habere.*

§. XXXII. Præsagit, quod obiter addimus, ejusmodi tristitia & *dusarēσneia*, flendique aut altercandi libido non minus, quam præter naorem & modum titillans stimulus ad lætitiam, plerumque mortuum, ex alterata humorum atque spirituum crassi propullulantem. Sic hypochondriacos & melancholicos sæpe subitanea, & modum tenere nescia hilaritate correptos cernimus, als ob sie gar ausgelassen wären; quos postmodum plerumque acerbiora symptomata vexant: indicio, certam vellicationem nervosi generis, ab initio pruritum quasi gaudendi, ridendique, imo saltandi in quibusdam excitantem, mox, aucta ista irritatione, (ut in scabiosis post duriorem, non sine voluptate celebratam sculpturam fieri solet,) causam dolendi evadere. Præter hæc non semper vana est de imminentे fato illætabili cordis anxietas, & inde nata despensatio animi; cum mens, a supranaturali causa admonita, futura mala ex longinquο quasi prævidet, unde Germani: *Das Herz ist mir schwer / es ahnet mir nichts gutes.*

§. XXXIII. Altera classis eas ideas comprehendit, quæ ex malo & bono, vere aut apparenter tali, originem trahunt; sive physica, sive morali, sive utraque ratione considerentur. Ut enim in morum genere non eadem omni-

omnibus honesta atque turpia judicantur; ita una eademque res amabilem vel odiosam, lætam aut tristem sui imaginem animæ imprimere, & quæ Titio ἀσιάφορα videbatur, Mævio pavorem aut iram, Sempronio vero optatam animi requiem conciliare valet. Prout scil. juxta Cartes. I. c. art. 39. *cerebrum & glandula pinealis*, vel potius circumstantia, interna atque externa subjecti statum concernentes, comparatae fuerint.

§. XXXIV. Multum itaque interest, cuius sexus quis sit, quam ætatem agat, qua humorum temperie, (quam mores sequi, Galenus docet,) polleat, ubi natus & educatus sit, quo vitæ genere utatur, quomodo corpore valeat, & demum, an prospera fortuna, an vero adversa fruatür. Quæ omnia, quatenus remotiorum causarum, ad animi affectus fabricandos concurrentium, vices sustinent, hoc loco latius & per exempla, secundum rerum nat. non nat. & p. n. capita exponere possemus; nisi hæc, ad propositam affectuum potius trigam pertinentia, hic intempestive recitari, ibi vero tædiose postmodum repeti arbitraremur.

§. XXXV. Ne tamen siccо prorsus pede hæc prætereamus, quædam ex arena quasi nata exempla attexere placet. Homo Gallus, temperamenti sanguinei, aut Britanus, ex conversatione uxoris cum juvene adeo non commovebitur, ut lætanti potius inde argumentum capturus sit; cum ibi fœminis, ut olim in Græcia adolescentulis, laudi ducatur, quamplurimos habere amatores. Italo vero, atra bile tincto, extrema indignatio & internecimus mœror inde nasceret. Deinde cum viros castra juvent, & lituo tubæ permistus sonitus, non matribus solum bella detestantur, sed omnibus etiam, qui otium & oppidi laudant rura sui, terroris atque metus materia esse solent. Huc pertinet Adelph. 4. sc. 8. illud Terentianum:

*Omnis, quibus res sunt minus secunda, magis sunt,
nescio quomodo*

Suspi-

Suspiciosi; ad contumeliam omnia accipiunt magis;

Propter impotentiam suam se semper credunt negligi,

& ira exinde, aut ubi ulciscendi occasio non datur, tristitia afficiuntur.

§. XXXVI. Restat, ut modum agendi, qua seil. ratione objectum externum sensus primum externos, hinc internos, ipsumque archæum feriat, proponamus. Nimirum, ut objectum percipiatur, opus est, ut sui characterem, ideamque sensorio communicet: sive hoc, secundum Aristotelem, beneficio *speciei* cuiusdam *sensibilis*, vulgo *intentionalis* dictæ, aut per *effluxum substantialem* Democritæum, aut, quod Cartesius vult, per *motum certum*, *objecto & sensorio specificum*, id fiat.

§. XXXVII. Ubi notandum; quod etsi Aristoteli τὸ αἰσθητήριον θεωρίον τῷ αἰσθητῷ αἴει υἱὸς ἐκαցον, quodlibet sensorium formam rei sensibilis sine materia, & ut certus, sunt Stupani verba, sigilli formam absque ferro & auro, quibus sigillum insculptum est, assumat: notabilis tamen sensorio alteratio accidat, & ab objecto, secundum ejus naturam, varie modificetur, idque nunc grossiori, nunc subtiliori modo & contactu. Grossioris contactus, quem, nescio cur, Stupanus in specie *physicum* vocat, exempla manus, a frigido refrigerata, lingua ab amaro, amarore, nasus a fœtente, fœtore imbuta offerunt. Subtiliori contactu autem per lumen colores oculis ingeruntur, & sonus per aërem compulsum aurem ferit.

§. XXXVIII. Oritur ab utroque isto contractu *mutus nervorum*, per tenuissimas fibras organo sensus externi implantatorum, hinc *spirituum*, tam insitorum, quam continuo fluxu huc ex cerebro manantium; isque undulatorius quidem, aet momento celerior, ad sensorium commune suscep-

suscepit imaginem deferens. Percussi, inquit du Hamel, in aliqua parte corporis spiritus, impressionem, ab objectis acceptam, per nervos ad striata corpora deferunt; ibi communis sensus perficitur, aut externæ sensationis perceptio quædam. Si fortior fuerit impressio, ulterius ad partem cerebri interiorem, seu corpus callosum (rectius medullam dixisset) propagata, imaginationis actum excitat. Est enim imaginatio vis animadversiva, quæ distinctam rei de pingit imaginem. Tandem undulatio ista ad limbum usque cerebri producta, in medullari corticis anfractu silitur, atque ibidem, suo tempore profuturam notam relinquit.

§. XXXIX. Quod distinctas hasce sensuum internorum sedes attinet, fateor, nec unam cunctorum sententiam, nec rem sine omni incertitudine esse. Fabri teste, sunt, l. a. lib. 3. qui memoriam in occipite statuunt, juxta cerebellum; sensum communem in syncipite, non procul a fronte; phantasiam & imaginationem, ut vocant, juxta ventriculos; immo non defuere, qui in ipsis ventriculis sensuum internorum sedes collocarunt, & cerebri cloacas in secretiora conclavia, commutarunt. Ipse Faber de sensus communis officina l.c. prop. 9 §. 5. singularem opinionem fovet, dum plexum choroidem ejus 6, 7, 8, 9. subjectum esse, sex argumentis, uno negativo, reliquis affirmativis, demonstrare conatur. Horum potiora partim ab analogia, hunc & retinam oculi, commune specierum visibilium receptaculum, intercedente, partim a subtilitate & vicinia principii nervorum desumit; ultimum vero, quod stringentissimum & ponderis maximi esse putat, & §. 10. continetur, ita format: Cum in omnes corporis fibras ex organo sensus interni determinatio vel affectio traducatur, certe in ea duntaxat cerebri parte (sensus communis) ponendus est, quæ ex omni fibrarum genere constat; sed praeter prefatum plexum, nulla hujusmodi est; quæ scil. secundum §. 5. & 10. ex mollissima substantia fibrosa, innumeris arteriis, venis & nervis fibrisque membranosis composita sit; ergo &c.

§. XL. Sieut autem argumenti hujus consequentia tanta non est, ut quempiam hactenus Fabri in suas partes traxisse legerimus; ita & posteros animadversuros esse confidimus, ipsum sibi soli hac in re sapuisse. Sed nobis redendum est, unde digressi sumus.

§. XLI. Percipit scilicet τὸ ιγεμονικὸν, archæus sive anima sensitiva, in confinio sensuum internorum, aut si mavis, in ipsis sensibus internis vigens, postquam per nervos singulis sensoriis vim sentiendi tribuerat, per eosdem alterationem, ab objecto in sensorio factam, & pro circumstantiarum constitutione atque re nata, denuo spiritus per nervos in extimas partes, motui animali inservientes, ablegat. Itur, inquit Fabri hoc pæcto a peripheria ad centrum, daturque regressus a centro ad peripheriam, id est, a sensibus externis, qui quasi peripheriam corporis obtinent, ad sensum internum, qui est in fibrarum centro; & ab hoc ad appetitus organa, id est, ad venas, arterias, nervos, musculos, membranas.

l.c. §.10 pro-
pos. 9. p. 329.
l. c.

§. XLII. Prout igitur objectum utilis aut inutilis, læti aut tristis, grati vel noxii ideam offert, diversi ab anima sensitiva spirituum atque humorum motus instituuntur: dum ea, juxta Willisum, a jucunda & bonitate sua sese commendante idea quasi ampliatur, & exultans erigitur, spiritusque animales, ad motus organa & præcordia largius emissos, cum sanguine quaqua versum diffundit: Contra ea ab ingrata, & nocendi malitia notata, aut percellitur, & in seipsam quasi contrahitur; unde fluidarum quoque non minus, quam solidarum partium motus sufflaminatur: aut distorquetur, & per irregulares motus ima summis miscet, utque ab ira accidere videmus, cuncta perturbat.

§. XLIII. Sic oriuntur modo affectus jucundi, gaudium, amor; modo molesti, terror, metus tristitia; modo compositi irregulares, ira, indignatio, furor, desperatio, idque genus alia. in quorum omnium generatione primo

intuitu quidem anima pati videtur, cum tamen revera agat, & tota in actione versetur. An vero ejusmodi theatrales & mimicas facierum vicisitudines, quales Willisius ipsi affingere ausus est, admittat, dictu difficile est: illis tamen haud ægre persuadebitur, qui Helmontii commenta de archæo, nunc quieto, tranquillo, obediente, sibimetipsi complacente; nunc pavido & prorsus fugitivo, vix herbis, verbis, atque lapidibus in ordinem redigendo, aliquid apud se valere patiuntur.

§. XLIV. Cœterum, quod actionem & passionem animæ sensitivæ spectat, non inconvenienter verbis Hame-
lii ea roborari potest: Non sunt audiendi, qui sensum sola imaginis receptione, aut passione quadam, definiunt, cum omnis perceptio actio, & quidem clara sit. Ilnde potius statuendum, animam sensitivam, quando nervus, & in eo spiritus animales usque ad sensorium commune vibrantur, huic impulsioni quasi obsistere, & reagere. Hinc Aristoteli sentire est agere circa illam affectionem, factam in organo, & oculus artificialis, quanquam rerum imagines suscipiat, nec cernit tamen, nec sentit.

§. XLV. Tandem, ut finem dicendi faciamus, cum tantum in genere de affectibus loquamur, possunt, quæ supra de effectibus eorum sparsim adduximus, fere sufficere, quo minus ad specialia descendere opus habeamus, ad sequentes dissertationes varias machinæ microcosmicae alteraciones reservantes. Coronidem igitur discursui imponat Galenus, qui, postquam in symptomatum causis explicandis, de lassitudinis speciebus, rigoris item & horro-
ris, febricitantes occupantium, origine differuisse, ita lo-
quitur: Est igitur ex primis, ac, ut sic dicam, qui maxi-
me principalis sint notæ motibus, ipsa τῆς ἐμφύτε Θρησ-
cias, innati caloris intro forasque delatio, multas animi
perturbationes passionesque sequens: simul autem cum ipsa
spiritu quoque ac sanguis alias intro, & ad ipsum princi-

lib. 2. c. 5. p. m.

85.

pinnus

pium feruntur; alias foras tendunt & funduntur. Ex quo patet, unde moderni distinctionem istam hauserint, quando omnes sanguinis atque spiritum motus, ab affectibus excitatos, ad duo genera, contractionem nimirum & explicacionem referunt, quatenus scilicet (ut Excell. Brunonis, de effectu atque utilitate, in corpus ex animi pathematibus redundante, loquentis, verba mea faciam) vel humores, sanguis praesertim & spiritus, congelascentes, fixiores, funduntur, & expanduntur: vel nimis expansi & fusi figuntur, & ad tranquillitatem reducuntur.

SOLI DEO GLORIA.

